

ita communis est, ut nihil magis obivium ac tritum apud sanctos Ecclesiae Patres et in sensu fidelium inveniri possit. Et haec quidem de sententia SS. Patrum. Accedit Doctorum scholasticorum, et veterum Theologorum opinio. Quoties enim de mystico Scripturarum sensu pertractant nullam faciunt distinctionem inter Vetus et Novum Testamentum, multo minus dicunt ab hoc sensum mysticum excludendum esse. Quinimo Angelicus Doctor generalem quamdam rationem exhibet, qua suadet sensum mysticum saltem anagogicum, et moralem in N. T. contineri, quia nempe Lex Nova figura est futurae gloriae coelestis et Christi gesta ac mysteria moralem sensum habent: « Sicut enim dicit Apostolus ad Hebraeos septimo, Lex Vetus figura est novae Legis; et ipsa nova Lex, ut dicit Dionysius in Eccles. Hier. est figura futurae gloriae. In nova etiam Lege ea quae in capite sunt gesta sunt signa eorum, quae agere debemus. Secundum quod ea quae sunt Veteris Legis significant ea, quae sunt Novae Legis est sensus allegoricus; secundum vero quod ea quae in Christo sunt facta, vel in his, quae Christum significant, sunt signa eorum quae agere debemus est sensus *moralis*; prout vero significant ea quae sunt in aeterna gloria, est sensus *anagogicus* » (Summae P. 1 q. 1. a. 10 Corp.).

Quae obicit solent adversus nostram Thesim non sunt magni momenti, et plerumque in equivocatione versantur.

Quod enim 1^o obicitur ex diverso caractere utriusque Testamenti, et ex eo quod Vetus Testamentum dicatur et sit *umbra*, Novum autem ipsa *veritas*, nihil aliud evincit nisi quod in N. T. non sint admittendae illae ipsae figurae, quae in V. T. existebant, sed potius earum implementum, seu earum anlypti: exinde vero minime sequitur Libros N. T. omnibus omnino figuris carere. Seu aliis verbis Nova Lex est veritas inquantum opponitur umbrae non absolute, sed *relativae* ad umbras seu figuras quae in V. T. praecesserant.

2^o Testimonia Patrum quae afferuntur a Patritio (Lib. 1 cap. XI. q. III. §. 338) eodem modo intelligenda sunt, scilicet de praefata relatione inter duo Testamenta, non autem absolute de exclusione cuiuslibet sensus mystici a N. T. ut ex simplici lectione illorum locorum manifestum fit. Et mirum est a Cl. auctore

produci testimonia Origenis, et Augustini, qui in aliis locis tam aperte docuerunt multos mysticos sensus in N. T. existere.

Ceterum laudati auctoris sententia, collatis simul iis quae habet in loc. cit. cum iis quae postea disserit c. XIV. quaest. III. ita temperata est, ut (magna saltem ex parte) potius verbis quam re a nostra sententia differat. Ait enim in Evangelii typos quosdam admitti posse in iis quae acciderunt ante Christi mortem, vel saltem ante adventum Spiritus Sancti, sed hosce ad Vetus Testamentum pertinere, quia Novum nondum confirmatum erat (§ 335), ideoque quaestionem de sensu mystico Librorum N. T. non esse instituendam de Evangelii, sed potius de reliquis libris (§ 377, 379). Nobis visum est quaestionem absque istis subtilitatibus proponere, ut vulgo proponi solet (non excluso ipso P. Patritio § 377) *utrum scilicet sensus mysticus inveniatur in Libris seu Scripturis N. T. a quibus non possunt separari Evangelia, quae praecipuum eorum partem constituunt. Quamvis, etiamsi quaestio ad reliquos tantum Libros coarctetur, non putamus demonstrari posse eos omni prorsus mystico sensu carere, ut ex dictis apparet.*

CAPUT IV.

DE SENSU ACCOMMODATO

Quae huc usque disputata sunt de sensibus Scripturae per se sufficerent: nam praeter sensum literalem, et mysticum nullus alius est aut cogitari potest in Sacris Libris. Verum solent aliquando interpretes et concionatores alios quosdam sensus Scripturae affingere, quos sacer auctor, aut Spiritus Sanctus neque verbis, neque rebus proprie significare voluit, et tamen sententis S. Scripturis apte convenire possunt, et hac ratione, quamvis improprie, Scripturae sensus dici possunt. De hac ratione Scripturas exponendi pauca nunc dicenda sunt ad complemdam generalem tractationem de variis sensibus S. Scripturae. Praedictus modus exponendi Sacras Literas vocari solet vel *accommodatio aesthetica*, et ipse sensus ita e scripturis derivatus dici solet *sensus accommodatus*, vel *accommodatitius*, quamvis alii alias quoque voces ad eum designandum

adhibuerint (1). Potest autem definiiri ita: *Sensus ille qui verbis Scripturae ob aliquam analogiam affingitur praeter mentem auctoris*. Dicitur *praeter mentem auctoris* et per hoc distinguitur a vero sensu Scripturae sive literali sive mystico qui est ipsa mens auctoris; addidimus autem *ob aliquam analogiam*; hoc enim in ipsa notione *accommodationis* includi videtur, si enim desit quaecumque analogia inter id quod affingitur et id cui affingitur non erit proprie *accommodatio* sed potius violenta contorsio, et depravatio, qua de causa etiam dicimus eam fieri *praeter non contra* mentem auctoris. Quoniam vero sensus *accommodatus* inducitur cum analogia et veluti ad imitationem sensus veri, posset non inepte *dividi in varias species* quemadmodum verus Scripturae sensus. Posset itaque imprimis distingui sensus *accommodatus in literalem et mysticum* prout vel Scripturae *verba* ad aliquid aliud trahuntur, vel *ipsae res* verbis significatae tamquam aliquid quodammodo adumbrantes et repraesentantes accipiuntur, praeter intentionem auctoris. Exemplum *accommodationis* literalis esset si quis cum S. Bernardo usurparet verba illa Gen. II, 18: *Non est bonum esse hominem solum*, ad indicandam convenientiam habendi praeter mediatorem Christum apud Patrem, etiam mediatricem Mariam apud Filium; exemplum autem *accommodationis* mysticae esset si quis Legem de separandis leprosis Levit. XIII traheret ad necessitatem vitandi consortium haereticorum. Haec altera species *accommodati sensus* a multis vocatur *allegorema*.

Rursum sensus *accommodatus* literalis distingui solet in *extensivum*, et *allusivum*: alter habetur cum quis verba Scripturae ac-

(1) Graeci enim, et qui Graecis vocibus delectantur hunc sensum vocant *κατα κολλησιν*: Theodorus Mopsnestenus eum non inepte appellavit *κατ' ἐξέσιν*, quamvis erraret in hoc quod crederet vaticinia V. T. ab hagiographis N. T. fuisse *κατ' ἐξέσιν* allegata non autem in suo vero sensu; quae sententia fuit damnata in Concilio V. ut postea videbimus. Apud Latinos nonnulli vocarunt hunc sensum *transumptivum*, uti Caletanus, quem sequitur inter recentiores Unterkircher. Apud veteres nomine sensus *spiritualis* veniebat etiam aliquando sensus *accommodatus*, quemadmodum etiam sub nomine *allegoriae*, vel explicationis *allegoricae*, quae plerumque nihil aliud erat nisi *accommodatio* verborum vel factorum S. Scripturae. Sed nunc convenit inter biblicos scriptores sensum de quo loquimur appellare *accommodatum*, vel paulo duriore vocabulo, *accommodatum*, ut diximus.

cipit quidem iuxta sensum quem revera habent, sed applicat alteri obiecto praeter illud de quo dicta sunt: ita ex. gr. Ecclesia in divino officio singulis confessoribus Pontificibus applicat verba illa Eccli. XLIV, 17: *inventus est iustus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio*, quae de Patriarcha Noë scripta sunt; alter vero modus *accommodationis* per allusionem, seu sensus *accommodatus allusivus* tunc habetur cum alius omnino sensus datur verbis Scripturae, ad quem tamen aliquo modo verba illa alludere videntur, vel utcumque pertrahi possunt, ut in exemplo superius adducto ex S. Bernardo.

Hisce declaratis, duae quaestiones fieri possunt de *accommodatione* Scripturae, nempe 1° Utrum licita sit, 2° utrum et quatenus ipsi Hagiographi hoc genere *accommodationis* usi fuerint.

Quaestio 1° an licitum sit exponere S. Scripturam in sensu *accommodato*.

Haec *accommodatio* *aesthetica* locorum S. Scripturae potest esse vel illicita, vel licita aut etiam laudabilis pro varia ratione qua instituitur. Quare statuimus sequentem propositionem.

THESIS VI.

Accommodatio aethetica locorum S. Scripturae, si iuncta rectas normas fiat, licita et laudabilis dicenda est.

Ut ordine procedamus primum trademus normas illas de quibus in propositione mentio facta est, per quas normas totidem vitia *accommodationis* notantur et vitari praecipiuntur, quibus exclusis, ostendemus ceteroquin *accommodationem* verborum S. Scripturae non modo licitam, sed et opportunam, ac laude dignam esse.

I. Normae sequendae in *accommodandis* Scripturae testimoniis aliae respiciunt res, quibus *accommodatio* fit, aliae vero modum quo *accommodatio* fit vel proponitur. Normae ex parte *rerum* ad duas sequentes revocantur.

Regula 1° *Verba sacrae Scripturae non sunt accommodanda rebus pravis, absurdis, gravitati et sanctitati verbi Dei repugnantibus.*

Veritas huius regulae demonstratione non indiget, supposita

sanctitate, et divinitate Scripturarum, et consequente officio sancte et reverenter eas tractandi. Accedit appositum decretum Concilii Tridentini huiusmodi abusum damnantis in Sessione IV in Decret. de editione et usu Sacr. Libr.: « Post hæc, inquit, temeritatem illam reprimere volens (Sancta Synodus), qua ad profana quæque convertuntur, et torquentur verba et sententiæ S. Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat et præcipit, ad tollendum huiusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba S. Scripturæ ad hæc et similia audeat usurpare: ut omnes huius generis homines temeratores et violatores verbi Dei iuris et arbitrii poenis per Episcopos coerceantur. » Cavendus tamen est ex alia parte scrupulus, et nimis rigor in damnandis iis qui aliquando facite verba aliqua Scripturarum accommodant: imprimis enim aliud est *scurrilitas*, quam damnat Concilium, aliud mera facetia; deinde quædam in Scripturis occurrunt præsertim vulgarium hominum dicta, vel communia Hebræorum proverbialia, in quibus facete et hilariter usurpandis nullum crimen apparet. Magna tamen prudentia, et circumspectio in hac re opus est, et generatim loquendo laudabilis est ab iis abstinere.

Regula 2^a Item cavendum est ne verba S. Scripturæ accommodentur rebus, quamvis honestis, quæ tamen nimis alienæ sint, aut etiam contrariæ menti auctoris, aut quæ nullam cum ea habeant analogiam præter materiale verborum sonum.

Ratio huius regulæ desumi potest ex ipsa notionem et definitionem accommodationis æsthetice, quæ in suo conceptu involvit aliquam analogiam inter sensum verborum quæ accommodantur, et rem cui accommodantur, ut superius diximus. Ita ex. gr. incongrua accommodatio uteretur qui de Immaculata Conceptione B. M. V. loquens afferret verba Psalmi IX: *Quæretur peccatum illius et non invenietur*, quæ non de innocentibus, sed de magnis peccatoribus dicta sunt, quorum Deus potentiam, memoriam, et mala opera evertit, et delet. Ita etiam qui ad pium flagellationis exercitium distribuens poenitentia instrumenta verba illa Ps. II usurparet: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur*

Dominus. Huiusmodi vitium licet non sit tam abnorme ac illud in præcedente regula notatum, est tamen damnandum, quemadmodum illud damnant SS. Ecclesie Patres; ex quibus S. Basilius loquens de quorundam accommodata expositione divisionis aquarum Gen. I, 7, eam reiecit inquit: « Tales sermones veluti somniorum interpretationes, et aniles fabulas reicientes aquas intelligamus aquas » etc. Et S. Hieronymus in epistola ad Paulin. 33 (al. 403): « Taceo, inquit, de mei similibus, qui si forte ad Scripturas sanctas post sæculares literas venerint, et sermone composito aurem populi mulserint, quidquid dixerint hoc legem Dei putant, nec scire dignantur quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit et non vitiosissimum dicendi genus depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem. » Oriri potest hoc vitium, ut hic innuit Hieronymus, vel ex ignorantia S. Scripturæ, qua quis sententias separatas iuxta materiale verborum sonum accipit, non attendens ad contextum et ad scopum auctoris; vel ex vano pruritu ostentandi suum ingenium per hæc argutias, et inexpectatas applicationes verborum Scripturæ. Proclives in hoc vitium fuerunt auctores sæculi XVII, in quorum præsertim sermonibus, et pænegyricis orationibus huiusmodi ineptæ et contortæ Scripturæ accommodationes non raro offenduntur.

Hæc quidem respiciunt ipsas res quibus accommodatio fieri potest. Nunc tradendæ sunt regulæ quæ respiciunt *modum*, quo accommodatio proponi potest, ubi pariter duo vitia admitti possunt, quæ sequentibus duabus regulis notantur et proscribuntur.

Regula 3^a *Sensus accommodatus, etiam honestus, et opportunus, nunquam proponendus est cum præiudicio sensus veri, eo scilicet excluso, vel negato.*

Hoc vitio iuxta multos laboravit Origenes qui accusatus est eo quod *cassis imaginibus Scripturarum tolleret veritatem*, ut de eo loquitur Theophilus. Quidquid de Origenis sententia statuatur, manifestum est verum sensum Scripturæ semper in tuto collocandum esse antequam quis alios sensus ex suo ingenio proferat et Scripturæ accommodet, et quamvis possit verus sensus prætermitti, ut plerumque in accommodatione fit, nihil tamen proferre licet quo ille excludatur. Qui allegoricæ interpretationi indulgent nisi

fuertit aliunde in lectione et scientia Scripturarum apprimè versati facile possunt in hoc vitium incidere.

Regula 4^a *Sensus accommodatus non est ita proponendus ac si esset verus Scripturae, seu Spiritus Sancti, sensus.*

Ratio huius regulæ evidens est: qui enim hoc faceret ideas suas venditaret pro Dei verbo, et pro Auctorum Sacrorum mente suam ipsius mentem lectoribus obtruderet: quo vitio putat Hieronymus peccasse Origenem in suis allegoricis expositionibus dum *ingenium suum, inquit, facit Ecclesiae sacramenta*, (Hieron. Praef. lib. V. Comm. in Isaiam). In hoc vitium incideret qui ex sensu accommodato vellet convincere aliquam veritatem, eamque tamquam ex Sacra Scriptura demonstrare. Ita illi, quos carpit Hieronymus in Comm. in Cap. XIII. Matthaei, qui mysterium SS. Trinitatis demonstrare volebant ex parabola de fermento quod acceptum mulier abscondit in *farinae satis tribus*, quibus dicebant significari Trinitatem: « Pius quidem sensus, inquit S. Doctor, sed nunquam parabola, et dubia aenigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere. » Peius errabant Donatistae schismatici, qui volebant demonstrare veram Christi Ecclesiam in sola Africa, ubi ipsi degebant, mansisse adductis verbis Cant. 1, 6: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*; quos merito irridet, et damnat Augustinus in Lib. de Unit. Ecclesiae C. Donat. cap. 24 (al. 19). Ita etiam male faciunt qui ad probandum periculum consortii maiorum hominum, et utilitatem amicitiae bonorum tamquam divinum mandatum urgent verba Psalm. XVII, 27, 28: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris. . . et cum perverso perverseris*, quorum tamen verborum verus sensus longe diversus est: non enim ad homines diriguntur admonendi, vel praeciipiendi causa, sed ad Deum, qui solet cum innocentibus et sanctis benigne et misericorditer agere (תְּחַקֵּךְ) cum impiis autem et perversis dure et perverse; idest, modo eorum perversitati conveniente (תְּחַפְּלֵךְ). Facile in hoc vitium incidere possunt qui in studio Scripturarum parum versati et de censulendo contextu verborum, aut aliorum commentariis parum solliciti sunt, quare verba Scripturae eo sensu accipiant, quem prima fronte videntur praesefere, eumque ad demonstrandum urgent.

Haec igitur sunt quae vitare oportet in accommodatione loco-

rum Sacrae Scripturae, quaeque eandem accommodationem vitiosam et plus minusque reprehendam efficiunt.

II. Si autem haec omnia vitentur, et verba Scripturae accommodentur rebus honestis et sanctis, et cum verborum sensu aliquam analogiam praeseferebantibus, idque fiat salvo Scripturarum vero sensu, nec ad scopum demonstrandi veritatem, sed lectorem aedificandi, si, inquam, hac ratione quis accommodatione utatur, contendimus eum licite, imo et laudabiliter agere.

I^o *Licite* quidem: Nam illud est licitum in quo nulla perversitas moralis deprehenditur, et ex quo nullum malum vel periculum oritur. Huiusmodi autem dicenda est accommodatio Scripturae iuxta praedictas condiciones instituta. Siquid enim perversum in hac accommodatione contineretur hoc esset irreverentia erga Sacram Scripturam, periculum autem vel esset in fide, vel in moribus. Verum haec omnia ab accommodatione biblica longe absunt, dummodo observentur normae superius traditae. Esset enim utique irreverentia erga Scripturam si eius sententiae aptarentur rebus turpibus, aut vanis aut etiam nimis alienis a verborum sensu, si vero res honestae fuerint, et analogiam aliquam praeseferant cum aliquo loco Scripturae nulla prorsus verbo Dei iniuria aut irreverentia irrogatur si illis rebus verba accommodentur. Hoc enim facere solemus etiam de dictis profanorum auctorum, quae aliquando rebus nostris aptamus ad sermonem ornandum, nec est qui hoc existimet auctoribus illis indecorum aut iniuriosum: quinimo reverentiae potius et aestimationis argumentum est quod alterius sententias sermoni nostro inserimus, quo ostendimus eas tanti a nobis fieri, ut patemus eis quasi quibusdam gemmis nostram orationem decorari posse: hinc nemo sententias ignoti vel imperiti scriptoris allégare vel aptare solet. Periculum fidei tunc tantum esset si quis sensus accommodatos et imprimis falsos aut inaccuratos proponeret tamquam sensum Sacrae Scripturae. Sed hoc superius exclusimus. Periculum autem morum non potest oriri nisi ex accommodatione Scripturae quae fiat rebus obscenis ac pravis, quod pariter diximus nunquam licere, non vero ex accommodatione facta rebus honestis, ac piis.

Haec omnia confirmantur ex agendi ratione Doctorum et sanctorum virorum, ipsiusque Ecclesiae, imo ipsius Christi Domini,

eiusque Apostolorum. Accommodatio enim verborum Scripturae intra debitos limites definita nunquam non fuit in usu apud Sanctos Ecclesiae Patres, praesertim in iis scriptis, quae non ad dogmatum defensionem, sed ad plebis Christianae aedificationem ediderunt. Res est ita certa et omnibus nota ut inutile sit exempla citare. Inter omnes Patres nemo fuit felicior in hoc accommodationis genere Sancto Bernardo. Idem dicendum est de posterioribus Ecclesiasticis Scriptoribus, sacris oratoribus, asceticis tractatoribus. Quinimo, uti diximus, ipsius Ecclesiae exemplum licet afferre: nam omnes norunt Ecclesiam in divinis Officiis, et in ipsa liturgia passim Scripturae verba usurpare in sensu mere accommodato: qualia sunt, ut exemplum obviam afferamus, ea omnia quae B. Mariae Virgini aptantur ex Libris Proverbiorum et Ecclesiastici, quae in sensu auctoris non de Maria Virgine, sed de increata Dei sapientia omnino intelligenda sunt. Demum Christus Dominus, et Apostoli non raro huiusmodi accommodatione usi sunt ut ex Libris N. T. apparet, et in sequenti Thesi demonstrabitur.

2^o Verum diximus non modo licitum, sed et *laudabilem* esse usum Scripturae in sensu accommodato, intellige semper usum prudentem, sobrium, et iuxta normas praescriptas. Quod quidem imprimis consequitur ex dictis de praxi Doctorum et Ecclesiae, ipsorumque Hagiographorum. Quod enim tot eximii Doctores, tot sancti viri, ipsaque sancta mater Ecclesia per tot saecula probarunt, et usu frequentarunt, quod ipse Christus Dominus eiusque discipuli exemplo suo confirmarunt quomodo pium et laudabile non erit? Deinde si huius accommodati sensus naturam, et effectus consideremus apparebit eum saepe cum fructu adhiberi posse, ideoque eius usum laudabilem esse. Habent enim Scripturae verba quamdam inditam vim, quam pii et religiosi homines probe sentiunt; atque ideo veritates, et moralia documenta verbis Scripturae quamvis accommodatis expressa videntur animum magis afficere, quam si nostris verbis ea protulerimus: exemplo sit S. Bernardus, qui, ut diximus, accommodatione sententiarum S. Scripturae maxime excellit, et per hanc tantam suavitatem ac spirituales unctionem suis scriptis moralibus, et asceticis indidit, ut hac potissimum de causa *Doctor mellifluus* mernerit appellari. Accedit alia quoque ratio: scilicet in Scriptura populo explicanda

(de hoc enim genere expositionis potissimum loquimur, nam in dogmaticis tractationibus vero Scripturarum sensui adhaerendum est) incidunt saepe Libri vel Librorum partes quae obscuras et difficiles quaestiones involvunt, quas populo explicare minus opportunum est; aut enim non intelligeret, aut parum emolumentum ex iis caperet. Nonne igitur laudandus erit interpres si, praetermisso literaliter illorum locorum sensu, ad sensum accommodatos confugiat ut mores aedificet, et pietatem auditorum foveat? Hoc certe maioris charitatis et prudentiae argumentum esset, quam si quis nimia doctrinae ostentatione, et inopportuna orationis profunditate simplicem fidelium plebem aut fatigaret, aut ieiunam domum remitteret.

Et haec satis sint de prima quaestione circa sensum accommodatum.

Quaestio 2^a de accommodatione S. Scripturae ab ipsis Hagiographis facta.

Haec quaestio difficilior et gravior est superiore quaestione, et intime connexa cum demonstratione Evangelica, seu cum argumentis quibus ostenditur veritas Christianae religionis. Sciendum est enim nonnullos plus aequo tribuisse huic accommodationi aestheticae ab Hagiographis usurpatae ita ut omnia vel pleraque vaticinia V. T. allegata ab Evangelistis aliisque scriptoribus Novi Testamenti putaverint allegata fuisse non secundum mentem Prophetarum, a quibus scripta fuerant, sed per meram accommodationem. Primus qui inter veteres hanc opinionem proposuit est Theodorus Mopsuestenus celeberrimus alioquin interpres Sacrae Scripturae inter Orientales. Is itaque existimavit vaticinia saltem pleraque ab Evangelistis citata, quaeque ipsi dicunt in Christo impleta fuisse, non habere eum sensum, sed per quamdam accommodationem, *κατὰ ἐπιφανίαν*, ab Hagiographis aptata fuisse Christo Domino, eiusque Ecclesiae. Hanc falsam et perniciosam sententiam notavit et damnavit Vigilinus Papa in suo Constituto capp. XXI-XXV in Concilio V oecumenico. Et re quidem vera haec sententia non solum falsa ostenditur ex simplici consideratione praecipuorum locorum quae in N. T. allegata occurrunt, et ex scopo Evangelistarum in vaticiniis allegandis, sed praeterea infirmat, et evertit gravissimum argumentum quod ad probandam veritatem Christianae religionis

desumitur ex implemento vaticiniorum V. T. in Christo, eiusque gestis, et in Ecclesia ab eo fundata. Hinc mirum non est praefatam opinionem Theodori Mopsuesteni avide arreptam fuisse a Socinianis, quorum scopus erat Religionis revelatae fundamenta convellere; neque ab hoc errore satis sibi cavit Grotius in variis locis suarum adnotationum in N. T. Rationalistae vero recentiores bene multi in eandem sententiam concesserunt, licet alii invexerint contrariam opinionem, peiorem tamen et iniquiorem in sacros Auctores N. T. contententes eos profiteri quidem se lectoribus tradere mentem veterum Prophetarum, sed eam aut non bene intellexisse, aut consulto depravasse. Alii vero auctores cum Catholici, tum Protestantes ex adverso contendunt Hagiographos nunquam praecedentium Scripturarum verba in sensu accommodato usurpasse, quod putant viris inspiratis minus convenire, sed semper in vero sensu quem continent, sive literali sive saltem mystico. Verum utraque sententia reiicienda est: sacri enim Scriptores nec semper, nec nunquam accommodatione usi sunt, sed aliquando Scripturas citarunt in sensu accommodato, alias vero, imo plerumque in sensu auctorum: certa autem criteria assignari possunt quibus discernatur quonam ex praefatis modis singula testimonia citaverint. Ut igitur totam rem dilucide pertractemus duas Theses proponemus in quarum prima breviter ostendemus Hagiographos aliquando sensum accommodatum usurpasse, in altera vero ostendemus eos non semper id fecisse, et criteria quaedam assignabimus ad hoc demonstrandum, ubi occasione arrepta tractabimus quaestionem satis difficilem de sensu ac vi formulae: *hoc factum est ut impletur*, sub qua Evangelistae saepe allegant Prophetarum oracula. Sit itaque imprimis

THESIS VII.

Scriptores sacri aliquando verba praecedentium Hagiographarum non in suo vero sensu, sed per meram accommodationem allegarunt, et suis sermonibus inseruerunt.

I. Probatur haec Thesis nonnullis exemplis, in quibus apparet praefatam accommodationem ab Hagiographis factam esse.

1° Apud Hagiographos V. T. pauca occurrunt exempla.

Ita in Libro Tobiae II, 6 cum Tobias relicto prandio cadaver in platea iacens domi suae occultasset noctu sepeliendum, et panem cum lactu et tremore manducasset dicitur meminisse verborum Amos prophetae: *Dies festi vestri convertentur in lamentationem, et luctum*, quae tamen verba nec de lactu illo Tobiae certe scripta fuerunt, nec in genere de lactu quod solet gaudio succedere, sed in specie et taxative de lactu quem experturi erant Israelitae in finali exterminio regni Israel (Amos VIII, 9, 10); est ergo mera accommodatio, et quidem apta et pulchra ex eo genere quod vocavimus *caestensivum*. Eadem verba Amosi pulchre accommodantur ab auctore Libri 1 Machabaeorum extremae desolationi, in quam decidit Ierosolyma in persecutione Antiochi Epiphanis (1 Mach. I, 41). In eodem Libro 1 Machabaeorum VII, 16 seq. accommodantur verba Psalmi LXXVIII, 4 seq. nam licet de alia prorsus strage scripta fuerint, ea tamen sacer scriptor aptat indignae neci quam impius Alcimus intulerat sexaginta viris Asideis, qui ad pacem petendam venerant: « Et occidit eos in una die secundum verbum quod scriptum est: *Carnes sanctorum tuorum, et sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Ierosolym, et non erat qui sepeliret.* » Etiam in Libro 2 Machabaeorum VII, 6 videtur fieri accommodatio verborum Moysi Deut. XXXII, 36: *et in servis suis consolabitur (Deus).*

2° Apud Hagiographos N. T. exempla frequentiora sunt.

Ita Matt. VII 23 ipse Christus enuncians sententiam damnationis, quam in extremo die iudicii laturus est in reprobos eam exprimit verbis Davidis Ps. VI, 9: « Et tunc confitebor illis (inquit) quia nunquam novi vos: *discedite a me qui operamini iniquitatem* » quae certe in alium sensum dicta fuerant. Matt. X. 36 Christus Dominus loquens de separatione aliquando necessario facienda a propinquis et amicis ob Christi, eiusque legis amorem, huic rei accommodat verba Micheae VII. 6: *et inimici hominis domestici eius*, quae de alia prorsus re propheta intellexerat, scilicet de domesticis discordiis apud coevos suos moribus corruptos passim occurrentibus. Cfr. etiam Matt. XV, 7-9 coll. Is. XXIX, 23. Idem Christus Luc. XXIII. 30 loquens de extremo die iudicii, vel, ut alii volunt, de excidio Ierosolymae per Romanos, ad exprimen-

dum terrorem et consternationem quae tunc animos hominum occupabit, usurpat verba quae leguntur Osee X, 8: « Tunc incipient dicere montibus: *cadite super nos, et collibus; operite nos* » quae a propheta dicta fuerant de excidio Samariae. In Actis Apostolorum XIII, 46, 47, Paulus et Barnabas Iudaeos eorum praedicationem respuentes ita alloquuntur: « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes; sic enim praecepit nobis Dominus: *posui te in lucem gentium ut sis in salutem usque ad extremum terrae* » quae tamen non ad ipsos dicta fuerant, sed ad Isaiam Prophetam, vel potius ad Christum per Isaiam figuratum (Is. XLIX, 6) ita tamen ut ad Apostolos extendi possent considerato munere eis commisso. Idem Paulus in Epistola ad Romanos X. seqq. applicat Legi Evangelicae, et fidei in Christum ea quae Moyses dixerat de Lege antiqua Deut. XXX, 12-14, et in eodem capite v. 18 Evangelii praeconibus accommodat verba Psalmi XVIII: « *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* » quae ibi intelliguntur de mundo physico, seu de coelis, et astris enarrantibus gloriam Dei: Adde Hebr. XIII, 3 ubi Paulus omnibus Christianis applicat verba ad Iosue directa Ios. I, 3, et verba Davidis in Psalmo CXVII, 6. Demum Iohannes in Apocalypsi XI. 4 de duobus testibus in fine mundi apparituris (vulgo Henoch, et Elia) ait: « *Hi sunt duo olivae, et duo candelabra in conspectu Domini terrae stantes* » quae deprompta videntur ex visione Zachariae IV, 3, et 14 ubi tamen propheta duos alios sanctos respexit, seu, ut videtur, Zorobabelem et Iesum filium Iosedec. Haec sunt praecipua exempla accommodationis S. Scripturae factae ab ipsis sacris Auctoribus, et ab ipso Christo Domino.

II. Quae in contrarium afferri solent nullius momenti sunt.

Dicunt enim 1^o indignum esse inspiratis viris Scripturam inspiratam allegare in alio sensu ab eo quem Spiritus Sanctus intendit. Verum nullum prorsus inconveniens in hoc apparet. Si enim in huiusmodi accommodatione S. Scripturae nihil pravam invenitur, nec ulla irrogatur iniuria sanctitati Scripturarum, ut superius demonstratum est, cur non potuissent sacri Scriptores ea uti? Nec id ignorantiam Scripturae arguit in ipsis Auctoribus; qui enim in sensu

accommodato adducit verba alterius non ideo censendus est verum eorum sensum ignorare, sed, eo praetermisso, rei paulo diversae ea accommodat. Demum cum id in more hominum positum sit, cumque aliunde sciamus Hagiographos humanum loquentem morem sequutos fuisse, optime intelligimus cur aliquando etiam inspirati illi Scriptores hac ratione Scripturae verba usurpare voluerint.

Dicunt 2^o exempla omnia superius adducta accipienda esse tamquam allegationes Scripturae iuxta sensum vel literalem, vel saltem mysticum. Sed id nunquam demonstrabunt adversarii. Et sane, quod pertinet ad literalem sensum, sufficit contextum illorum locorum consulere ut unusquisque perspectum habeat ea diversum sensum habere ab illo in quo allegata sunt: nec possunt mystice hunc alterum sensum habere; siquidem inter figuram et figuratum talis habitudo esse debet ut illa longe inferior sit isto, et veluti umbra cum corpore solido comparata, aut imago cum eo quod per illam repraesentatur. Quis autem dixerit ex. gr. excidium Samariae fuisse umbram desolationis Ierosolimae, aut Isaiam imaginem Pauli et Barnabae? In nonnullis casibus concedimus dubitari posse factane sit accommodatio, an vero agatur de mystica relatione inter typum et antitypum, ideoque ab his exemplis afferendis abstinendum est: sed plures occurrunt citationes in N. T. quae, ut diximus, aliter explicari nequeunt quam per accommodationem, de qua loquimur.

Nunc de altera opposita sententia, seu potius errore dicendum est, eorum scilicet qui nimis extendunt huiusmodi accommodationis usum in Libris N. T. praesertim ubi de vaticiniis Prophetarum agitur. Sit itaque

THESIS VIII.

In Libris Novi Testamenti testimonia Prophetarum non semper allegantur in sensu mere accommodato, sed plerumque in suo vero sensu ab auctore intento: hoc autem speciatim contendimus factum esse in iis locis, ubi 1° laudata testimonia demonstrandas veritatis causa afferuntur, vel 2° ubi Hagiographi ea citant sub solempni formula: hoc factum est ut impleretur quod dictum est: ἦνα (vel ἕπρωσ) πληρωθῆ τὸ ῥηθὲν.

Demonstrabimus hanc Thesim adversus Socinianos et Rationalistas primum argumento quodam generali, et veluti a priori, tum vero argumentis specialibus in propositione indicatis.

Arg. I generale ita proponi potest.

Si Hagiographi N. T. vaticinia Prophetarum semper in sensu accommodato applicassent Christo eiusque Ecclesiae non autem iuxta proprium eorum sensum, id fieri debuisset, vel 1° ex eo quod nulla existerent in V. T. testimonia quae in suo vero sensu Christum respicerent, vel quia 2° licet existerent ignorabantur tamen ab ipsis Hagiographis, vel denique 3° quia licet et essent, et probe noscerentur, noluerunt tamen ab Hagiographis allegari, et consulto praetermissa fuerunt. Atqui omnes huiusmodi hypotheses falsae aut inverosimiles sunt. Ergo.

Sane 1° Absurdum est asserere nulla in V. T. extare vaticinia quae possent in suo proprio sensu de Christo afferri. Nam, omisso nunc examine directo plurium vaticiniorum quae certissime ad Christum spectant, emisso etiam Christianorum et Iudaeorum de hac re consensu, nobis sufficit Christi ipsius testimonium diserte affirmantis multa de seipso scripta inveniri in Lege, in Prophetis et in Psalmis, seu in universa Scriptura V. T. (Luc. XXIV, 28-27, 44). Sed absurdum est etiam affirmare 2° Apostolos et Evangelistas ignorasse huiusmodi vaticinia, ac verum eorum sensum. Quomodo enim ignorassent quod tam clarum et apertum erat, puta vaticinia Isaiae, et Davidis, quae omnes Iudaei sciebant et profitebantur ad Messiam pertinere? Quod si fieri aliquo modo potuisset ut ea ignorarent, nonne satis erat ad hanc ignorantiam

depellendam trium annorum magisterium, quo Christus Dominus eos docuit exponens illis Scripturas quae de ipso erant, et aperiens illis sensum ut eas intelligerent? Reliquum est igitur 3° ut dicamus testimonia de Christo et in V. T. existere, et Apostolis apprime perspecta fuisse, sed eos noluisse dum scriberent ad ea confugere. Verum enim hoc persuadere poterunt adversarii? Siquidem Hagiographi N. T. ad vaticinia Prophetarum passim appellant, eaque frequentissime recitant cum de Christi gestis loquuntur, in quibus dicunt illa impleta fuisse. Quis autem crediderit eos, relictis claris et evidentibus vaticiniis, quae ad rem faciebant ea potius allegare voluisse, quae non faciebant ad rem, ut ea quomodocumque Christo accommodarent? Concludendum est igitur Hagiographis N. T. non semper vaticinia Prophetarum per meram accommodationem aptasse rebus, de quibus scribebant, sed saepe, imo plerumque ea allegasse iuxta verum et proprium eorum sensum a Spiritu Sancto intentum.

Arg. II. speciale de praecipuis quibusdam allegationibus.

Quod superius in genere et quasi a priori evictum est potest in specie demonstrari de singulis locis Prophetis in N. T. allegatis iuxta verum propheticum sensum. Et quidem posset hoc directe ostendi instituto accurato examine illorum locorum ex quo appareret eorum sensum illum ipsam esse quem Apostoli et Evangelistae illis tribuerunt: sed quoniam id longiorem disputationem exegeticam requireret (quae non est huius loci), hinc contenti erimus potius indirecte illud evincere tum ex scopo ad quem loca illa citata fuerunt, tum ex formulis quibus eorum allegatio saepe facta est, ut in Thesi indicavimus.

Itaque 1° ex scopo ita argumentamur. Ea testimonia censi debent allegata ab Hagiographis in proprio ac vero sensu quem continent, quae ad veritatem demonstrandam ab iis allegantur. Atqui plura vaticinia V. T. ab Hagiographis N. T. et ab ipso Christo Domino ad hunc scopum demonstrandi veritatem allegantur. Ergo.

Maior clara est: nam sensus accommodatus ad demonstrandum nihil valet, et ex superius dictis apparet. Ad minorem quod attinet sufficit afferre praecipua quaedam exempla, ubi laudatus Christi et Apostolorum scopus in citandis vaticiniis V. T. certus et evi-

dens est. Cum autem sensus vaticiniorum possit esse vel literalis vel mysticus, et de vaticiniis iuxta sensum mysticum allegatis iam alibi dictum sit, satis erit hic adducere quaedam loca V. T. ab Hagiographis allegata secundum sensum literalem ad finem aliquid demonstrandi. Psalmus II. in pluribus locis N. T. affertur demonstrationis causa. Ita ex. gr. Hebr. I. 3 Paulus adducit verba v. 3. huius Psalmi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* ad demonstrandum Christum esse supra omnes creaturas, et Filium Dei naturalem. Act. XIII. 33 ex iisdem verbis infertur convenientia, et veritas Resurrectionis Christi Domini; et ita alibi Psalmus XV. allegatur a S. Petro Act. II. 24-30 ad demonstrandum Christum a mortuis resurgere debuisse. Psalmus CIX. non minus frequenter allegatur ad Christi ipsius dignitatem et praerogativas demonstrandas. Ita ex. gr. Mat. XXII. 41 seq. Christus ex primis verbis huius Psalmi demonstrat Messiam non purum hominem esse, eoque argumento ita confusi sunt Pharisei ut *nemo posset ei respondere verbum* (v. 46). Eadem verba urget Petrus in primo suo sermone Act. II. 34-36 ad Christi divinitatem probandam. Item Paulus Hebr. I. 13 ex eiusdem Psalmi initio eandem veritatem convincit: qui etiam in eadem epistola (VII. 20, 21) ex v. 4 ostendit praecellentiam sacerdotii Christi supra sacerdotium leviticum.

Verba Dei ad Abraham dicta Gen. XII. 3, XVIII. 18, XXII. 18: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*, afferuntur a S. Petro Act. III. 25 seq. ad demonstrandum ex Iudaeis salutem primum venisse; a S. Paulo vero eadem verba arguntur ad probandam vocationem omnium gentium ad fidem (Cfr. Rom. IV praesertim v. 16): utrumque enim demonstrant.

Verba Ieremiae XXXI. 31 seqq. ab eodem Paulo Hebr. VIII. 6-13 in argumentum adducuntur ad suadendum Testamentum Novum Antiquo longe praestantius debuisse a Christo sanciri. Idem Apostolus ad eandem veritatem confirmandam affert verba Psalmi XXXIX. 7, 8 (Hebr. X. 1-9). Plura alia exempla occurrunt in Pauli epistolis. Sed haec sufficiant ad ostendendum Hagiographos N. T. vaticinia V. T. saepe allegasse demonstrandae veritatis causa, ideoque eadem allegasse secundum mentem auctoris, non vero per accommodationem.

2^o Dicimus ea testimonia non citari in sensu mere accommo-

dato, sed in suo vero sensu sive literali, sive mystico, quae in medium adducuntur ab Hagiographis N. T. per solemnem illam formulam: *ut impleretur quod scriptum est, ut impleretur scriptura dicens* etc. Nam formulae praedictae non possunt significare meram accommodationem vaticinii eventui vel personae diversae ab ea de qua scripta fuerunt, sed designant verum eiusdem vaticinii implementum.

Verum cum de hac re a nonnullis etiam Catholicis et orthodoxis Scriptoribus dubitatum fuerit, operae pretium erit quaestionem diligentius exponere. Occasionem huic controversiae praebuit caput II. Evangelii Matthaei ubi plura afferuntur vaticinia, eaque in Christi nativitate et infantia impleta fuisse dicuntur, adhibitis formulis: *tunc impleta est scriptura, hoc factum est ut impleretur scriptura*: cum tamen nonnulla ex illis testimoniis videantur nullatenus ad Christum referri, puta illud Os. XI. 1 citatum pro Christi pueri commoratione in Aegypto Mat. II. 15, cum apud prophetam intelligendum sit de populo Hebraeorum. Hinc Iudaei et increduli cum Iuliano Apostata occasionem arripuerunt calumniandi Evangelistas ac si vaticiniorum sensum ad scopum suum detorsissent contra mentem Auctorum. Communis responsio quam catholici cum S. Hieronymo dare solebant huic calumniae haec est: vaticinia illa utique ad Christum non referri in sensu suo literali et immediato, sed si spectetur eorum sensus occultus et mysticus revera Christum respicere, et sub hoc respectu in eo impleta fuisse: ideoque huiusmodi vaticinia bis implementum habuisse, primum scilicet cum res illa accidit quae verbis immediate exprimitur, iterum vero in Christo quem res illa, puta agnus Paschalis, vel populus Hebraeorum, mystice figurabat. Ita Hieronymus de loco Os. XI, et ceteri interpretes. Verum saeculo XVI Cornelius Iansenius Ep. Gandavensis in suo commentario in concordiam Evangelicam cap. XI aliam viam se inire posse putavit, quam *commodiorem* appellat, ad solvendam praedictam difficultatem, negando videlicet Matthaeum in citato loco (et alios Hagiographos in similibus casibus) veram allegationem vaticinii facere voluisse, sed tantum verba Prophetiae voluisse Christo accommodare, ideoque non posse de depravato sensu vaticinii accusari. Cum autem obstare videretur formula illa gravissima a Matthaeo ibidem adhibita: *ut adimpleretur quod di-*

ctum est per Prophetam, contendit hanc formulam non esse ita necessario accipiendam, ut significet testimonium allegatum id praecise significare et respicere pro quo allegatum est, et in eo vere impletum fuisse; nam, inquit, *Scriptura quandoque impleri dicitur quum fit quidem quod illa commemorat, etiamsi id non fiat proprie ab Auctore intentum*, et adducit exempla Mat. XV, 7, 8 coll. Is. XXXIX, 13, et Mat. XIII, 14 coll. Is. VI, 9. Maldonatus hanc sententiam adoptavit in Comm. in Mat. II, 43, ubi quatuor distinguit sensus, quibus in Scripturis invenitur adhibitum verbum *implere* (1). Similia habet Vasquez in Summam S. Thomae p. I. q. 1 Disp. XIV. c. 3; etiam Calmet (Comm. in Mat. II. 43) licet admittat vaticinium Oseae revera ad Christum pertinere iuxta sensum mysticum, tamen consentit cum laudatis auctoribus formulam illam a Matthaео adhibitam per se conciliari posse cum mora loci accommodatione. Haec quaestio veluti sopita erat, cum aetate nostra iterum agitari coepit occasione qua Michaelis ex vi formularum, de quibus loquimur de-

(1) Operae pretium erit hunc Maldonati locum scribere: « Dicitur itaque prophetia, quantum equidem observare potui, quatuor modis impleri. Primum cum idipsum fit, de quo proprie, et literaliter, ut dicitur, sensu intelligebatur, sicut Matthaеus (I. 22) dixit impletam in Maria Isaiæ prophetiam fuisse: Ecce virgo concipiet et pariet Filium. *Secundo* cum fit non id de quo proprie intelligebatur Prophetia, sed id quod per illud significabatur, ut: Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in filium (2 Reg. VII. 14) quod proprie de Salomone dictum esse perspicuum est, divus tamen Paulus de Christo, cuius figura Salomon erat, interpretatur (Heb. I. 6) quasi in eo impletum esset. Item Ex. XII. 46 coll. Io. XIX. 36. *Tertio* cum nec id fit de quo proprie intelligitur Prophetia, nec id quod per illud significatur, sed quod illi simile est, et omnino huiusmodi, ut Prophetia non minus apte de eo, quam de quo dicta est, dici potuisse videatur. Nam: Populus hic labiis me honorat, et Iudaeis, qui tempore Isaiæ erant, Deus dixerat (Is. XXXIX. 13), Christus autem in iis qui suo tempore erant impletum significat, (Mat. XV. 7, 8). Simile est exemplum apud Matthaеum XIII. 14, et in Actis XXVIII. 26. *Quarto* cum idipsum quod per Prophetiam aut Scripturam dictum erat, quamvis iam factum fuerit, tamen magis ac magis fit. Tunc enim Scriptura impleri dicitur, id est quod per eam dictum erat cumulatissime fieri... Illa ergo Prophetia Oseae: *Ex Aegypto vocavi filium meum* proprie de populo Israel, quem Deus filium suum primogenitum appellare solet (Ex. IV. 22 etc.) intelligebatur... dicitur autem nunc impleta (Mat. II. 15) secundo, et tertio modo etc. »

monstrare aggressus est duo priora Matthaеi capita genuina non esse: saltem haec fuit occasio qua ductus Card. Wiseman obsoletam opinionem Iansenii et Maldonati in lucem revocavit, novisque argumentis ex syriaca literatura depromptis roborare aggressus est in suis *Praelectionibus de connectione inter scientiam et fidem*. (Lect. X. circa fin.). Argumentum Michaelis ad hoc revocatur. Auctor duorum priorum capitum Matthaеi citans testimonia Prophetarum de Christo iis formulis utitur, quae omnino ostendunt eum lectoribus persuadere voluisse illa vaticinia revera Christum spectare, et in illo vere impleta fuisse. Atqui nonnulla ex illis vaticiniis nullatenus ad Christum pertinebant, nec poterant dici vere in Christo implementum suum habuisse. Ergo auctor ille erravit circa sensum vaticiniorum. Cum autem non liceat asserere Matthaеum Apostolum, et inspiratum scriptorem in huiusmodi errores incidisse, concludendum est auctorem illorum capitum non esse Matthaеum, seu pericopam illam spuriam et adscitiam esse. Card. Wiseman Michaelisium refellere aggressus, fatetur quidem *minorem* eius argumenti falsam demonstrari posse, ac vaticinia a Matthaео allegata reapse ad Christum pertinere sive literaliter, sive saltem mystice, attamen satius esse iudicat ab hac longiori disputatione circa singulos textus abstinere, et mavult negare *maiores* argumenti; scilicet contendit ex formulis illis non demonstrari Matthaеum singula testimonia citare voluisse iuxta proprium, et verum, quem continent, sensum, atque ita uno veluti ictu totum adversarii argumentum se contrivisse arbitratus est. Eidem opinioni circa valorem illarum formularum subscripsorunt inter recentiores Catholicos etiam Kohlgrüber et Ranolder, praeter Ariglerum et Jahniium aliosque paucos. Sociniani autem et Rationalistae eandem opinionem passim defendunt ob diversum tamen, et contrarium finem, non scilicet defendendi sed impugnandi Religionem: hac enim admissa opinione, infirmatur argumentum quod pro Christiana Religione desumitur ex next intercedente inter Vetus et Novum Testamentum, et ex implemento vaticiniorum V. T. in Christo et Ecclesia ab eo fundata.

Nos vero, salva reverentia laudatis catholicis viris debita, contrarium defendemus, scilicet formulas praedictas argumentum constituere citationis iuxta mentem auctoris factae, id est, ubi vatici-

nia Prophetarum cum illis formulis citantur, sufficienter innoscere eadem allegata fuisse non per meram aestheticam accommodationem, sed iuxta eorum verum sensum.

Antequam id demonstremus quaedam praemittenda sunt ad quaestionis statum recte determinandum. Et imprimis hic non quaerimus an verbum *implere*, πληρωω (et *impleri*, πληροῦσθαι) per se et seorsim sumptum aliud quidpiam significare possit praeter id quod contendimus, puta *continuare*, *absolvere*, *favere* et alia quae congeruntur a Schleussner in lexico Graeco-Lat. in N. T. ad vocem πληρωω (Edit. IV. Lipsiae 1819 to. II. pag. 388); nemo enim est qui de hoc dubitet: sed quaestio est de ea voce quatenus applicatur praecedentibus vaticiniis, promissionibus, institutionibus quae *impletae* fuisse dicuntur in hac vel illa re. Rursum, quamvis possemus rem demonstrare de omnibus formulis ubi verbum implere recurrit, ut cum dicunt Evangelistae: *tunc impleta est scriptura dicens* etc. τότε ἐπληρώθη ἡ γραφή ἡ λεγούσα, *tunc impletum est quod dictum est per Prophetam*, et alia similia, satius tamen duximus quaestionem revocare ad eas tantum graviore formulae, in quibus particula *ut*, Graece ἵνα, vel ὅπως occurrit: hoc factum est *ut impletur* quod dictum est; *ut impletur* Scriptura dicens etc. quibus specialem vim inesse credimus. Hae breviter declaratis en argumenta pro nostra sententia.

Prob. 1^o ex *intrinseca vi formulae* de qua loquimur. Sane imprimis ipsum verbum *implere*, *impleri*, πληρωω, πληροῦσθαι, cum vaticiniis, vel promissionibus aut dispositionibus antecedentibus aptatur, per se, et vi sua significat illud ipsum fieri, quod tunc praedictum, vel promissum aut dispositum fuerat; hoc enim est illa *impleri*, et sine hoc diceretur *vacua* manere, seu effectu, et vi sua carere, et frustrari. Crescit argumentum si usurpatur particula *ut*, et dicatur rem aliquam factam esse, *ut impletur* quod antea praedictum aut promissum fuerat. Particula enim illa causalis est, et nexum indicat inter eventum illum, et vaticinium quod pro eo allegatur: qui quidem nexus, quantum ad vim formulae, intelligi posset vel *positive*, quatenus ideo res acciderit *quia* praedicta erat, vel saltem *negative*, quatenus *nisi* res illa accidisset praedictio sine effectu mansisset, seu falsa fuisset. Primum autem

admitti non potest iuxta rectam notionem praescientiae Divinae, ergo saltem alterum admittendum est, ut formula causalis vera sit.

Prob. 2^o ex usu *loquendi biblico*, cui maxime insistendum est in loquutionum S. Scripturae vi ac significatione definienda. Notandum hic est voces πληρωω, πληροῦσθαι quibus utuntur Hagiographi N. T. et LXX interpretes V. T. respondere verbo אָמַץ in textu Hebraico: verba autem τελεεσθαι, vel τελειοῦσθαι, quibus illi alias utuntur in eodem prorsus sensu, respondere hebraicae voci אָמַץ (*absolvere*, *perficere*). Hae igitur vocibus, cum de praecedentibus prophetis sermo est, dicimus in S. Scriptura significari verum implementum.

Et 1^o quidem *indirecte* stabiliri potest vis vocis *implere* in praedictis adiunctis ex usu Hagiographorum Veteris Testamenti. Est enim regula generalis, verba et loquutiones N. T. in eadem significatione accipiendi esse, quam habent in V. T. nisi contrarium aliqua certa ratione suadeatur. Imvero in Libris V. T. voci *implere*, ubi de vaticiniis vel promissionibus est sermo, ea significatio tribuitur quam nos contendimus. Ita verbum אָמַץ accipitur evidenter in sequentibus locis: 3 Reg. II, 27, VIII, 15, 24, 2 Paral. VI, 15, XXXVI, 21, Psalm. XX, 5, 6; verbum autem אָמַץ in libro Iob XXIV, 14, et in Isaia XLIV, 28. 2^o vero *directe* id ostenditur ex Libris ipsis N. T. ubi dicimus verbum πληροῦσθαι in omnibus claris et apertis locis adhiberi in sensu quem defendimus, idest pro *feri*, *evenire* illud ipsum quod antea dictum, et scriptum fuerat. Conferantur ex. gr. sequentia loca, ut significatio illa ex contextu, et subiecta materia evidens prorsus est: Mat. II, 23; Luc. I, 20, XXIV, 44; Io. XVIII, 9, 32; Act. III, 18, XIII, 33. Ex his itaque claris et evidentibus locis determinari potest sensus formularum in locis obscurioribus, vel incertis, quos adversarii obiciunt, iuxta illam Augustini regulam (De Doctr. Christ. Lib. III. c. 26) « Ubi autem apertius ponuntur (loquutiones S. Scripturae) ibi discendum est quomodo in locis intelligantur obscuris. »

Confirmatur iste usus loquendi Hagiographorum N. T. primo ex scopo quem prae oculis habuerunt Evangelistae, et imprimis Matthaeus, de quo praecipue fit quaestio, in suis libris edendis, ut scilicet ostenderent Iesum esse Christum vel Messiam Iudaeis promissum, et a Prophetis praenunciatum; et ad hunc finem frequen-

ter adducunt Prophetarum vaticinia cum varios eventus vitae et mortis Christi Domini enarrant. Ergo credendi sunt loqui voluisse de vero implemento vaticiniorum, ideoque per illas formulas: *hoc factum est ut impleatur*, etc. ostendere voluisse illum eventum de quo scribunt fuisse a Prophetis praedictum tamquam aliquid pertinens ad Messiam, et in Christo Iesu reapse locum habuisse ut praedictus fuerat, unde consequens erat, Christum Iesum esse Messiam.

Confirmatur secundo ex modo quo Patres, Doctores, interpretes formulas illas intellexerunt. Exceptis enim paucis recentioribus superius laudatis, nemo est in tota antiquitate, qui non intellexerit formulas, de quibus loquimur eo sensu, quem nos defendimus, scilicet Hagiographos N. T. indicare per eas voluisse vaticinia sic allegata vere in Christo implementum suum habuisse. Sed audiendi sunt fautores contrariae sententiae, et respondendum argumentis quae magno eruditionis apparatu adducunt ad suadendum praedictis formulis eam vim non inesse.

Dicunt itaque valorem verborum, et loquutionum determinandam esse ex usu loquendi. Imvero in usu loquendi formulae illae, et verbum *implere* saepe adhibentur ubi non est sermo de vero implemento vaticinii, idque exemplis confirmant. a) Ex *Scripturis* afferunt Esther I, 5: « Cumque impleverunt dies convivii, invitavit omnem populum » ubi implere accipitur pro *absolvere, finire*; et 3 Reg. I, 14 ubi Nathan iubet Bethsabeam ad David ingredi, et inchoare sermonem, addens: « et adhuc ibi te loquente cum rege ego veniam, et complebo יְהוָה סֵפֶרֶךָ sermones tuos » ubi *implere* adhibetur (sunt verba Ranolderi) pro exprimenda accessione alterius rei similis; Nathan enim implevit sermonem Bethsabeae idem argumentum iterando partim, partim continuando, ut apparet ex v. 23 sequ. Hoc sensu etiam Christus Luc. XXII, 16 aiebat: « Dico vobis quia ex hoc non manducabo illud (Pascha) donec impleatur (εως ἂν τὸν πικρῶσθῃ) in regno Dei »; idest non amplius hoc Pascha materiale in terris comedam, sed longe nobiliter et perfectius in coelis, seu coeleste gaudium, et spirituale convivium aeternae beatitudinis. Addunt testimonia ex scriptoribus non sacris, et quidem b) ex profanis ut ex. gr. Olympiodoro ex quo hoc testimonium affert Michaelis: « Examen apum os parvi Plato-

nis melle replevit, ut verum de eo feret (ὡς ἐκλήθης περὶ αὐτοῦ γενοίτο); de lingua eius mel dulce defluxit » quae sunt verba Homeri de Nestore dicta. Alia plura congressi Schlessner (loc.cit.) ex Graecis scriptoribus; c) ex Ecclesiasticis scriptoribus Graecis antiquissimis, et cum aetate tum lingua ab Hagiographis N. T. parum distantibus. Ita Epiphanius haer. X. (al. XXX) contra Elionem de hoc haeretico ait: « In eo quod scriptum est (Prov. V, 14) impletur: paulo minus versatus sum in omni malo. » Hegesippus (apud Eusebium Hist. Eccl. II, 23) de Iudaeis Iacobum fratrem Domini occidentibus scribit: « Et impleverunt Scripturam (καὶ ἐπλήρωσεν τὴν γραφήν) in Isaiā scriptam (Is. III, 10): tollamus e medio iustum, quia molestus est nobis; propterea fructum operum suorum manducabunt: » quae certe de Iacobo iusto scripta non fuerunt. Irenaeus Adv. haer. IV, 20: « Iohanne vero non sustinente visionem: cecidi, inquit, ad pedes eius quasi mortuus (Apoc. I, 17), ut feret quod scriptum est: nemo videt Deum, et vivet (Ex. XXXIII, 20). » Quinimo ipso aetate Apostolico Clemens Rom. in 1^a Epist. ad Corinthios graece scripta: « Omnis honor et delatio, inquit, vobis data est, et impletum est illud quod scriptum est (καὶ ἐτελέσθη τὸ γεγραμμένον): edit, bibit, dilatatus, incrassatus est dilectus, et recalcitravit » (Deut. XXXII, 18).

d) Ex *Latinis* Hieronymus in Epist. ad Paulinum: « Socraticum illud impletur in nobis: hoc unum scio quod nescio » et Ven. Beda Comm. in c. XI Lucae, enarrata daemoniaci sanatione, subdit: « Quod et tunc quidem carnaliter factum est, sed et quotidie adimpletur in conversione peccatorum. »

e) Ex *Orientalibus* scriptoribus afferunt testimonia quaedam syriace scripta, ea scilicet lingua quae affinis est dialecto Apostolis familiari, et a Matthaeo adhibitae in Evangelio scribendo. Ex his Card. Wiseman affert duo testimonia ex compendio vitae S. Ephremi apud Assemani Biblioth. Orient. to. I. c. 6. ubi narratur Ephremo olim in spelunca delitescenti ut laudes Edesseniorum ad se venientium vitaret apparuisse angelum, eumque sic alloquutum fuisse: « Cave, inquit, ne de te narretur quod scriptum est: Ephraim vitula iugum ab humero suo repulit (Os. X). Et Ephrem lacrymabundus: non ego, inquit, is sum cui tanti oraculi verba accommodes. » Et in eodem compendio fursus legitur de S. Ephrem: « Hic est

de quo *Christus in Evangelio loquitur*: ignem veni mittere in terram. » Addit aliud testimonium ex actis Syriaci S. Ephrem (Opp. to. III. edit. Rom. 1793. pag. XXIV) « Quapropter *adimpletum est de illo verbum quod Ananiae de Paulo dictum est*: Vas electionis est mihi iste. » Praeterea ipsius S. Ephremi omnium Syrorum scriptorum, qui supersunt, antiquissimi testimonium affert ex Opp. to. III. pag. 317-18: « Aristoteles... quod de sapientissimo Salomone *Scriptura prodidit perfecte implevit*: nullus ante te similis tui fuit, neque post te surrecturus est. » Hisc Syrorum testimoniis aliud adiungit Tholuck (in suo *Commentario in Evangelium Iohannis Hamburgi 1727*) desumptum ex Chronico Bar Hebraei, seu Abulpharagii scriptoris Syri saec. XIII.: « Viderunt, inquit, iram de qua propheta dicit: iram Domini portabo, quia peccavi. » f) Addunt nonnulli formulas citandi usitatas a *Rabbinis* in Talmude aliisque scriptis: Surenhusius integrum volumen de his formulis composuit, sed, fatente ipso Wiseman, nullam attulit in qua verbum *implere* usurpetur: laudatus Tholuck op. cit. pag. 68 duas profert quae magis ad rem facere videntur, scilicet « Qui edit, et bibit, et postea orat, *de hoc scriptum est*: post tergum tuum proiecisti me: » item altera: « Ex quo Sciamir (fabulosum Rabbinorum animal) templum destruxit, divinae gratiae, et piorum hominum cursus cessavit, *sicut scriptum est*: non est qui facial bonum etc. » (Ps. XIII, 1).

Haec sunt omnia, vel certe praecipua, quae a variis auctoribus pro contraria sententia allata sunt.

Respondemus tamen totum hunc testimoniorum apparatus rem nullatenus evincere. Ex his enim auctoritatibus aliae non faciunt ad rem, aliae non sunt idoneae ad usum loquendi biblicum certo definiendum, aliae demum reapse non contradicant sententiae quam nos defendimus. Et sane quod pertinet ad loca ex *scriptura* desumpta, ea probant quidem verbum *implere*, πληρωω, πληροω cum significatione *consummandi, absolvendi, ad perfectum adducendi* aliquando usurpari, non vero cum agitur de vaticiniis aut promissionibus accommodandis in alienum sensum, quod tantum in praesenti quaeritur. Nos autem contra ostendimus certis et indubitatis exemplis voces illas adhiberi ad significandum verum adimplementum vaticiniorum. Ceterum etiamsi adversarii demonstrassent

verbum implere aliquando in Scripturis usurpari ubi de mera accommodatione aethetica agitur, adhuc res confecta non esset; nos enim quaestionem potissimum instituumus de iis formulis, in quibus verbum implere cum particulis causalibus *ut, igitur, ideo* coniungitur.

Quod pertinet ad classicos *profanos scriptores*, ex iis declarari quidem aut confirmari vis loquutionum et formularum in Libris N. T. occurrentium, minime vero certo stabiliri potest. Nam lingua Librorum N. T. licet Graeca dicatur et sit, suam tamen peculiarem indolem habet, et in multis ab usu loquendi Graecorum recedit, ita ut ad nullam ex notis dialecticis classicae Graecitatis revocari possit. Quod spectat vero ad scriptores *Ecclesiasticos* Latinos, Graecos, Orientales ab adversariis citatos (utor fere verbis Cl. magistri et praedecessoris mei Phil. Arcangeli) recolendum est 1° nonnullos ex iis allegare loca minime prophetica, ut fit in adductis testimoniis Clementis Rom. Hegesippi, Epiphani, Hieronymi, Actorum S. Ephremi: quis porro verum πληρωωα quaesierit in allegatione verborum minime prophetiorum? 2° notandum alios implicite ostendere se meram accommodationem sequutos esse; quippe qui testimonium alicui applicant, quod de alio dictum esse diserte affirmant, ut S. Ephrem, et auctor vitae eiusdem; 3° in quibusdam testimonium allegatum continere propositionem quamdam adeo genericam, ut singulos, qui in circumstantiis ab ea descriptis versantur respicere iure dicatur, ideoque non de accommodatione, sed de vero implemento intelligi possunt et debent; ut est ex. gr. illud ab Irenaeo laudatum: *Deum nemo vidit, et rivet*, quod etiam Iohannem respicere merito dici potest, quatenus et ipse viso Christo sibi apparente cecidit *tamquam mortuus*; 4° si excipias Clementem, et fortasse Irenaeum et Hegesippum, reliquos omnes recentiores esse quam ut valeant de usu loquendi Apostolorum proprio idoneum reddere testimonium; 5° unum ex adductis Irenaeum usurpare graviorem illam citandi formulam, in qua verbum *implere* cum particula *ut* componitur, cui quidem peculiarem inesse vim diximus. Quare ex reliquis exemplis adversarii hoc ad summum evincerent, verbum *implere*, aut aliud simile per se sumptum adhiberi aliquando in latiore significatione, ubi non agitur de vero vaticinii implemento, non vero id fieri cum recurrit

formula illa *ut impletur scriptura*: testimonium vero Irenaei, ut modo diximus, commode accipi potest de vero implemento verborum Ex. XXXIII, 20, ideoque sententiae nostrae non officit. Auctores vero N. T. passim graviores illam alligandi formulam usurpant, ubi cum verbo *implere*, particula *ut*, *ἵνα* vel *εἰς* coniungitur, ut, ex. gr. Matthaeus I, 22, II, 15, 17, 23, IV, 14, VIII, 17, XII, 17, XXVII, 35, Iohannes XII, 38-40, XIII, 18, XV, 25, XVII, 12, XIX, 28-36 seq. et alibi.

Haec si attente perpendantur sufficere videntur ad ostendendum non posse adversarios nostrae sententiae certo stabilire in usu loquendi Hebraeorum, ea aetate, qua Apostoli scripserunt, praedictas formulas usurpatis fuisse in sensu lato et improprio, ubi de mera accommodatione agebatur, non de vero prophetiae alicuius implemento.

Haec sufficiant de hac quaestione; simulque de universa generali tractatione de variis Scripturae sensibus.

PARS SECUNDA

DE SENSU SCRIPTURAE INVENIENDO

PRAENOTANDA

Declaratis iis quae pertinent ad varios sensus in Scriptura existentes, vel qui ei tribui possunt, veniendum nunc est ad normas tradendas quae ad ipsam Scripturam interpretandam necessariae atque utiles iudicari debent, quod Hermeneuticae biblicae proprium est ac formale obiectum. Quoniam vero, ut superius animadvertimus, duo sunt omnino praestanda interpreti, et sensum *invenire*, et inventum convenienter aliis *proponere*, in hac secunda Parte de sensu *inveniend*o nobis agendum est.

Multa sunt, et fere innumera subsidia quae interpretem adjuvare possunt in *inveniend*o sensu S. Scripturae. Ne igitur absque finibus vagetur tractatio nostra statim distinguimus subsidia *remota*, a subsidiis *proximis* et *directis*. Haec sunt proprie *criteria* ac *regulae* interpretationis, quae scilicet rite adhibita docent et aperiunt Scripturae sensum, illa vero, seu subsidia *remota*, non aperiunt proprie alicuius loci sensum, sed tantum disponunt interpretis mentem animumque ut facilius, ope regularum, sensum Scripturae intelligat (1). Nobis agendum erit de subsidiis *proximis*, et *directis*, seu de ipsis *criteria* ac *regulis* interpretandi; de *remotis* autem subsidiis, seu dispositionibus satis erit hic in antecessum pauca adnotare.

(1) P. Patrizi haec quoque appellat *regulas*. Nam in op. cit. lib. I. cap. V. exponit *regulas remotas* interpretationis literalis: et sub hoc titulo enumerat *pietatem, humilitatem, orationem, cognitionem linguarum et scientiarum naturalium*, et alia huiusmodi, quae nobis videntur minus congrue appellari *regulas* interpretandi, et opportunius vocari posse *subsidia* *remota*, seu *dispositiones*. Regulas autem vocabimus ea praecepta, quae proprie docent quinam sit in singulis locis Scripturae sensus.